

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Episcopos qui virtute maximè pollebant, extorres fecerit. Cap.  
XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

diffluere, & veritatem aperte prodere cœpit: idemque ei accedit misero, quod primo nostro parenti Adam. Nā verbo-  
rū lenociniis coniugis suæ delinitus, in seruitutē datus est,  
& factus non captiuus solum, sed etiā muliebriū verborum  
fallaciis obsequens. Siquidem illa erroris Ariani laqueis  
ante irretita, maritum in eosdem inducere laborauit: cuius  
hortatu in horrendum blasphemiae barathrum præceps cū  
ea deiectus est. Eudoxius autem, qui adhuc ecclesiæ Con-  
stantinopolitanae clavum tenebat, non ut eam rite guberna-  
ret, sed tanquam nauem vndis obrueret, hos non modò in  
hunc induxit errorem, verūm etiam eidem consecrauit.

*Quomodo Episcopos qui virtute maxime  
pollebant, extorres fecerit.*

CAP. XII.

**E**odem tempore igitur, dum Valens sacro baptismatis  
initiatur mysterio, Eudoxius eum miserum obstringit  
iureiurando, vt in eo impio dogmate perseueret, &  
omnes, qui contraria doctrinæ adhærescant, vbique ecclæ-  
sis exigat. Itaq; Valens relicta doctrina apostolica, hoc pa-  
sto ad partem aduersariam traductus est. Atque non longo  
temporis spatio interposito, cetera, quæ iusurandum postu-  
labat, executus est. Nam Antiochena ecclesia magnū eiecit  
Meletium: Samosatena diuū Eusebiū: Laodicensem autē  
Pelagio, pastore fane egregio orbauit. Qui cum adoles-  
cens esset, duxit vxorem. Primoque nuptiarum die, in ip-  
so nuptiali thalamo, sponsæ persuasit, vt castitatem plu-  
ris quam concubitum aestimaret, & vt amorem frater-  
num pro coniunctione iugali teneret, edocuit. Verūm  
quanquam temperantia munus hoc pacto probe admini-  
strauit, & alias quoque habuit virtutes huic persimiles,  
quæ pariter cum ea velut choros ducebant, ac propterea  
communi omnium consensu ad præsulatum illum ascende-  
rat, tamen splendores illos vitæ præclarè institutæ hostes  
veritatis minimè reueritus est, Sed tum istum in Arabi-  
am, diuum Meletium in Armeniam, in Thraciam autē Eu-  
sebiū, qui doctrina apostolica diuulgāda permultos labo-  
res collocasset, relegauit. Iste Eusebius cū multas ecclesias  
pasto-

THEODOR. HISTOR.

pastoribus orbatas intellexisset, habitu militari indutus, & capite tiara operto, Syriam, Phœniciam, & Palæstinā pergrauit, quò tum præbyteros & diaconos crearet, tum alia Ecclesiastica obiret officia. Quòd si quando in Episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos Ecclesiis, quæ carebant pastoribus, præfecit.

*De Eusebio Episcopo Samosatenſi.*

CAPVT XIII.

**I**AM verò quantam animi magnitudinem quantamque sapientiam idem Eusebius demonstrat, cum edictum Imperatorium, quo iubebatur in Thraciam proficisci, ad eum esset perlatum, arbitror his, qui eius rei ignari sunt, pernecessarium ad cognoscendum. Sub crepusculum enim venit nuntius, qui hoc edictum afferebat: quem Eusebius tacere, & causam aduentus occultare iubet. Nam si plebs, inquit, studio pietatis educata intellexerit, te demerget in flumen, & à me certe poenæ tuæ mortis expetentur. Hæc locutus, & vespertino precum ministerio de more perfunditus, tempore, quo somnus solet obrepere, senex solus, fide vnius famuli fretus, ex vrbe egreditur. Sequitur famulus, ceruical tantum & librum secum deportans. Cum autem ventum est ad ripas fluminis. (Nam muros vrbis præterlabebat Euphrates) consensu naue, iubet remiges recta traijcere Zeugma. Vbi illuxit dies, iste Zeugma appulit: Samosata querelis & luctu redundant. Nam eius difcessu per famulum illum qui necessariis Eusebij quædā exposuerat mandata, & quinam essent eum comitaturi, qui etiam libri vnà exportandi, indicauerat, patefacto, omnes se pastore orbatum lamentabātur. Itaque frequentes per flumen nauigare quò eum querant, cœperunt. Atque vt primum ad eum veniunt, videntque pastorem suum defuderatum, conqueri, gemere, & ingentem vim lachrymarū fundere, quo persuadeant ei, vt apud ipsos maneat, & minime sinat oues lupis tradi. Verùm cum persuadere nō possent, audiuiscentque eum recitantem præceptum apostoli, quò perspicuè iubemur magistribus & potestatibus obtemperare, pars aurum, pars argentum, vestem alij, alij famulos